

Marmoris Cassellani quo Aesculapius, Hygea, Telesphorus celebrantur explicatio / [Johann Matthias Gesner].

Contributors

Gesner, Johann Matthias, 1691-1761.
Asclepius.
Hygea.
Telesphorus.

Publication/Creation

Göttingen : [publisher not identified], [1753]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/f3zgjhrg>



License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



MARMORIS CASSELLANI

QVO

AESCVLAPIVS, HYGEA, TELESOPHORVS

CELEBRANTVR

EXPLICATIO

IO. MATTHIAE GESNERI

Adfero ad vos AA. monumentum Graecae religionis marmori commendatum, quod ubi primum in conspectum venit, eo minus negligendum putavi, eo magis commentatione, qualis a me proficisci potest, prosequendum, quo rarius id genus cimeliorum in mediterraneas Germaniae partes solet pervenire.

Servat illud vicina Hassorum Principum sedes Cassellae, in ea domo, quam propinquam suo palatio *artis* humanae splendidum *domicilium* condidit ac dedicavit immortalis memoriae Princeps CAROLVS, quem, *Patrem Artium* non minus quam *Regum & Heroum* vocabit posteritas. Miserat ille Legiones duas Venetis militaturas in Peloponnesum, anno saeculi superioris septimo supra octogesimum. Cum his porro vere anni sequentis redeuntibus, inventum in vicinia Athenarum marmor tum hoc, tum aliud, de quo forte alius agendi locus erit, relatum esse, bonis auctoribus didicit Arckenholtzianus Vir Illustris, quem sua viventibus commendat in summis doctrinae & virtutis omnis decoribus humanitas, Christina autem sua vetabit mori. Is porro a Serenissimo hero suo, qui CAROLVM patrem, & avos WILHELMOS optabili fato patriae suae retulit, qui illibatum & auctum Hassorum heroum decus ad suum FRIDERICVM, Regis nostri generum, pro-

pagat feliciter, imperium Hassorum sero utinam transferat! a Serenissimi itaque Landgravii in bonarum literarum studiosos, in musas Gottingenses propitia voluntate, facile impetravit Arckenholtzius, ut liceret mihi non describere modo, sed publicare monimentum, quod cur notabile & commendandum videtur forte ultra marmora chartis, ad plurium certe notitiam sic perventuris, videatur, mox declarare studebo. His porro chartis si partem etiam gloriae Serenissimi Principis, ad omnes, qui ubique terrarum ac temporum literas amant, amabunt, perferendam intexere possim, felicitatem hujus commentarii quam consequi potest maximam equidem interpretabor.

Ceterum ita res cecidit, ut hujus marmoris copia eo mihi tempore fieret, quo e graui morbo recidiua mentis alacritas jucundo aliquo pabulo alenda videbatur. Post persolutas itaque *σωτηρι τῶν πάντων* Deo gratias, non injucundum erat illam partem Graecarum religionum considerare, quae circa eos versaretur Deos, quibus valitudinis curandae vel restituendae partes mandatae essent. Habet enim marmor nostrum Hymnos tres, Aesculapii, Hygeae, Telesphori, quos uno eodemque monimento celebravit vel privata nescio cujus, vel publica Atheniensium religio. Publicae potius forte adscribetis, Auditores, ubi, quae ad Telesphori hymnum commentati sumus, cognoveritis. Ex his, quae de Telesphoro indagare potui, etiam intelligetur, vix saeculo secundo, & Antoninorum aetate, antiquius hoc marmor poni posse; sed nihil obflare, quo minus tertio, vel quarto adeo saeculo assignetur.

Hos jam tres hymnos, quasi totidem Liturgiae unius partes, exhibebo singulatim. Ac primo quidem ipsas repraesentabo marmoris literas, quoad eas assequi potui, deinde uti legendum unum quemque versum putem, ostendam, & subjectis observationibus, quantum potero, declarabo. Vt specimen habeant studiosi ipsius scripturae antiquae, ultimam monimen-

ti partem, corruptissimam illam quidem, sed ea ipsa de causa illi divinatrici velut facultati & conjectrici, quam ἀγχινοισαν & σοφαστικὴν δύναμιν felix Graecia appellat, aptiorem, quam potuit accuratissime ex marmore expressam, dabo, eaque re enarrationem de scripturae & literarum genere compendi faciam. Sit ergo, ut in ipsa Tabula marmorea

I.

HYMNVS AESCVLAPII.

Vt universim hymnis colere Deos antiquum est *) ita Aesculapio etiam hoc tributum constat, ut mox videbimus. Forte illud vel fieri omnino vel certe magis usurpari coepit, ex quo certamina quaedam canendi instituta sunt in ludis illius, quae Ἀσκληπιείαι dicuntur, quales Epidauriorum (quae velut patria Aesculapii) commemorat in principio Ionis Plato, in quibus & Rhapsodorum certamina celebrata dicit, καὶ τῆς ἄλλης μουσικῆς, id est, reliquae non poëseos modo, sed alterius etiam cujuscunque liberalis doctrinae, cui nempe praeesse aliquam musarum putarent. De gymnics certaminibus & omnibus iis, in quibus corporum fanitate ac viribus opus esset, tanto minus dubitandum est, cum proprium munus esset Aesculapii valetudo, & Ὑγεία Hygea, Salus sive Sanitas, illius filia, Πώμη dicta eadem s. *Valentia*, de qua mox dicendi erit occasio.

Nunc iuvat de Hymnis Aesculapii, quae in promptu sunt, ponere, & lucem inde fenerari inscriptioni, quam primus, arbitror, vulgo.

Igitur inter Orphicos Hymnus est p. 164, quem quia brevis est, & totus ad rem nostram facit, hic repraesento.

N a 2

Ἰητῆς

*) Qua de re exstat libellus elegans & accurate scriptus Viri docti Io. Alb. Kriesii, bonarum literarum in Torunenfi Gymnasio Professoris,

quem me Praefide in Academia Georgia Augusta disputavit A. S. XXXXII.

Ἰητῆρ πάντων Ἀσκληπιε, δέσποτα παιάν,
 Θέλγων ἀνθρώπων πολυάλγεα πῆματα νέσων,
 Ἠπιόδωρε κραταίε, μόλοις κατὰ γων ὑγίειαν,
 Καὶ παύων νέσων χαλεπὰς κῆρας θανάτοιο,
 5 Αὐξιδάλῃς κέρε,*) ἀπαλεξίκακ', ὀλβιόμοιρε,
 Φοίβε Απόλλωνος κρατερὸν θάλος ἀγλαότιμον,
 Ἐχθρὲ νόσω, ὑγίειαν ἔχων σύλλεκτρον ἀμεμφῇ,
 Ἐλθ' ἐμάκαρ σωτῆρ, βιοτῆς τέλος ἐθλὸν ἐπάζων.

Haec Iosephus Scaliger ita reddidit,

*Cunctorum Aescclapi Iuturne, salutifer, alme,
 Morborum omnigenum mulcens contagia iniqua,
 Mulciber excellens, ades huc comitatu' Salute,
 Mortiferae cohibens incendia pestilitatis
 5 Vesticipor, Verrunce, rei largitor opimae,
 Februi Apollineris viridans & honora propago,
 Morbi perduellis, conjuxque Salutis amoenae,
 Huc o Jospes ades, aevi dans prospera fata.*

Inter Homericos est iste,

Ἰητῆρα νόσων Ἀσκληπιὸν ἄρχομ' αἰεῖδεν,
 Ὑιὸν Ἀπόλλωνος, τὸν ἐγείνατο δῖα κορωνίς
 Δατῖῳ ἐν πεδίῳ, κέρε φλεγύε βασιλῆος,
 Χάριμα μέγ' ἀνθρώποισι, κακῶν θελκτῆρ' ὀδυνάων.
 Καὶ σὺ μὲν ἔτω χαῖρε ἀνάξ. λίτομαι δέ σ' αἰοιδῇ.

Quae

*) Laborat hic versus duorum temporum defectu. Nihil mutant editiones. Quid si dedit auctor κέρων; auget Aesculapius florem

& incrementa puerorum. Sed neque illud dissimulare nostri pudoris est, etiam Aesculapium puerum celebrari, de quo deinde.

Quae ita vertuntur,

*Morborum medicus Aesclepius est mihi cantus,
Natus Apolline, quem genuit divina Coronis
Dotio in campo, Phlegyae bona filia regis,
Laetificare homines doctus, mulcere dolores,
Tu mihi sic, Rex, salveto, tibi supplico cantu.*

Sed fuere olim plures dicati Aesculapio Hymni, Paeanes, Cantica, ἢ ᾠδαί. Lucianus, five quis alius auctor est Encomii Demosthenis c. 27. (T. 3. p. 510, 47) 'Ουδὲ γὰρ τῷ Ἀσκληπιῷ μείον τι γίνεται τῆς τιμῆς, εἰ, μὴ τῶν προσίοντων αὐτῷ ποιησάντων ᾠδαί, τὰ Ἀλυσόδημος τῷ τροιζηνίῳ, καὶ Σοφοκλῆς ἀδεται. Habemus Alisodemi Troezenii & Sophoclis cantica, habemus morem offerendi Deo, tanquam hostias aut alia munera, Hymnos.

Quosdam in hoc genere solemnes fuisse, docet Aristides Sacror. Sermon. I. p. 280 med. Ἐδύκεν ἐν τῷ ἱερῷ εἶναι Ἀσκληπιῷ - καὶ τὰς παῖδας ἀδαι τὸ ἀρχαῖον ᾠμα, ἢ ἡ ἀρχή ἐστι,

"Δία τὸν πάντων Ὑπατον κλήζω"

καὶ εἶναι ἐν ἐκείνῳ τῷ μέρει τῷ ᾠματος,

Πολὺ γὰρ πολὺ μοι

Μέλπειν τὰς θεάς

Ἦτορ ἱαίνειν

Τὸ μέσον βίετ

Ἐντ' εὐφροσύναις

Τῷ δ' ὑπὸ παιδονόμῳ.

Et quis novit, an non prima pars Inscriptionis, quam damus, sit veteris alicujus poetae, Alisodemi illius aut Sophoclis, de quo in Apollonii vita (3, 17) Philostratus, οἱ δὲ (de Indis loquitur) ἦδον ἀθῆν, ὅποῖος ὁ παλαιὸς ὁ τῷ Σοφοκλῆς ἐν Ἀθήνῃσι τῷ Ἀσκληπιῷ ἀδουσιν. Vid. quae ad Hygeae Hymnum mox disputabuntur. Ceterum Hymnos Aesculapii etiam νόμοις dictos, apparet ex Callistrati statua X fin. ubi vid. Olcar. p. 903 no. 9.

Iam damus Hymnum marmoris, ea ipsa forma, tot literis ac versibus, quot ibi descriptus est. Vnum monemus, literam E ibi non esse rectangularem, sed constare forma C brevi lineola in ipso medio ventre notata, s. e. C pro Σ poni, oculis patet.

ΑΓΑΘΗΤΥΧΗ

- 1 ΕΓΡΑΙΩΠΑΙΗΩΝΑΣΚΛΗΠΙΕΚΟΙΡΑΝΕΛΛΩΝ
- 2 ΛΗΤΟΙΔΟΥΣΕΜΝΗΣΤΕΚΟΡΩΝΙΔΟΣΗΠΙΟΦΡΩΝ
- 3 ΠΑΙΥΠΝΟΝΑΠΟΒΛΕΦΑΡΩΝΣΚΕΔΑΣΑΕΥΧΩΝ
- 4 ΕΠΑΚΟΥΕΣΩΝΜΕΡΟΠΩΝΟΠΟΛΛΑΓΕΓΗΘΟ
- 5 ΤΕΣΙΛΑΣΚΟΝΤΑΙΣΟΝΣΘΕΝΟΣΗΠΙΟΦΡΩΝΑΣ
- 6 ΚΛΗΠΙΕΠΡΩΤΟΝΥΓΕΙΑΝΕΓΡΑΙΩΚΑΙΤΕΟΝΥ
- 7 ΜΝΟΝΙΗΕΚΑΙΚΛΥΤΤΙΧΑΙΡΕ

Haec expeditum est ita legere:

Αγαθη τυχη

Ἐγραι ὦ παίων, Ἀσκληπιέ, κίρανε λαῶν,
 Λητοίδε, σεμνῆς τε Κορωνίδος ἡπίόφρων παῖ.
 Ὑπνον ἀπὸ βλεφάρων σκεδάσας, εὐχῶν ἐπάκβε
 Σῶν μερόπων, εἰ πολλὰ γεγηθότες ἰλάσκονται
 Σὸν Δένος, ἡπίόφρων Ἀσκληπιέ, πρῶτον, ὑγείαν.
 Ἐγραι ὦ, καὶ τεὸν ὕμνον, ἦϊε, κέκλυθι, χᾷρε.

Converti autem sic possunt

*Expergiscere, o Paeon, Aesculapi, Domine populorum,
 Latonii & venerandae Coronidis mitis fili,
 Somnum de palpebris qui excutis, vota audi
 Tuorum hominum, (Meropum) qui multum gavisi propitiant
 Tuum robur, mitis Aesculapi, primum, nempe Salutem.
 Expergiscere o! & hymnum tuum, salutifer, audi. Salve!
 Brevis hymni summa fuerit, Expergiscere, Aesculapi, & audi
 Hymnum Hygeae canendum.*

Ἀγαθη

Ἀγαθή τύχη potest hic boni tantum ominis causa commemorata esse; vel tertio casu posita ἀγαθῇ τύχῃ, quo vtuntur in principiis, ea sententia, qua Romani dicunt *Quod felix faustumque sit*. Vid. Brisso, de form. 1, 112 p. 62. Selden. ad Marm. Oxon. p. 128, b. ubi praesertim de Genethliacorum Fortuna. Add. Lucia. Dial. Deor. 10, 1 p. 230, 1. it. Vitar. auct. princ. &c. Tres tituli ab his nominibus incipiunt apud Gruterum p. 1073. Add. Cl. Reimar. ad Dion. 68, 3 §. 26. Sed peculiariter in Aesculapii honore memoratur in veteri Inscriptione Musei Veronens. p. 36, 3 ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ ΣΜΙΝΘΕΙ ΑΠΟΛΛΩΝΙΚΑΙΑΣΚΑΗΠΙΩΣΩΤΗΡΙ *κ. τ. λ.* Ἀγαθὴ τύχη, & ἀγαθὸς δαίμων iuas sibi statuas s. signa habent in templo Aesculapii apud Aristid. Sacr. Serm. I p. 276 pr. It. Or. de concordia urb. T. I p. 520 ante med. κατὰ τὴν κοινὴν ἀπάντων ἀνθρώπων ἀγαθὴν τύχην Aesculapio consecratam ait partem urbis Pergamenae. Multas esse in Medicina etiam Fortunae partes, agnoscunt ut quisque est praestantissimus Medicus.

Ἔγραι pro ἔγχει, Syncope, cui auctoritatem praestat Ιλ. B, 41 ἔγρετο pro ἐγείρετο: & Hymnus Orphicus in Ἀμφιτέῃ Bacchum p. 148 v. 2 ἐγρέμενον pro ἐγείρμενον. Ἔγραι ᾧ per Synizesin coalescit inter pronunciandum, ut multa, quae dare potest Clark. ad Ιλ. E, 349, & ad I, 533, & ad O, 18.

Παιῶν Ἀσκληπιέ. Ita legendum sine dubio, vel certe παιῶν, licet pars literarum evanuerit. Παιῶν s. παιῶν generale nomen medicinam & salutem ferentis, primo quidem Apollinis, cuius originem narrat Callim. H. in Apoll. 97 sq. deinde Aesculapii. Miram nominis *Paeon*, quatenus Berytiorum Aesculapio tribuitur, originem narrat ex Damascii vita Isidori Photius (Cod. 242 p. 573 Hoesch.) Breviter, Aesculapium, formosum adolescentulum, ad furorem amat Astronoë Phoenissa, Deorum mater. Ille cum aliter effugere non posset, securi sibi amputat virilia. Astronoë παιῶνα vocat q. d. percussorem sui ipsius, & Deum

Deum facit. Vid. etiam Spanh. ad Aristoph. Plut. 635 ubi Ἀσκληπιῶ παιῶνος mentio est. Ἀσκληπιῶ παιῶνι dicatus est titulus apud Reines. 1, 206. Παιῶν simpliciter vocatur Proclo Hymno in Solem. v. 21. Ne miremur hoc nomen cum illo communicari, Ἰήϊον mox, & statim Δία celebrari observabimus.

1 Κοίρανε λαῶν. In marmore similior figura prima est decussi, s. χ, errore quadratarum. Κοίρανος, ut βασιλεὺς, δεσπότης, commune Deorum nomen. Βασιλῆα μέγαν vocat Hymnus Orph. praef. p. 96, 36. Ἀσκληπιὲ δεσποτα Aristid. Oratione in Aescul. princ. Est enim Iupiter quoque Aesculapius eidem ibid. & Or. sacr. 1 p. 283 post med. Vid. Rich. Mead sub orat. Harveian. p. 52. Hinc Q. Valerius Iulianus in Musei Veronensis titulo p. 38 Ἀσκληπιῶ ἱητῆρι διὸς σωτῆρος ἀγαλμα ἀνέθηκεν.

2 Λητοῖδος σ. κορωνίδος. Hinc ille apud Lucianum Pseudomantis Alexander in mysteriis suis γάμον κορωνίδος & Apollinis exhibet, c. 38 p. 245: & Aristides orat. sacra 1 p. 289 post med. ait se iussu ποιῆσαι μέλη, γάμον τε κορωνίδος καὶ γενέσιν τῶ θεῷ carmina scribere quibus caneret nuptias Apollinis cum Coronide, & Dei Aesculapii nativitatem. Coronida hanc, h. e. illius simulacrum, in aede Minervae Titanenles quo modo coluerint, ostendit Pausan. Corinth. 1. 2, 11. Alias Arfinoë Leucippi F. mater Aesculapio assignatur. Ceterum Apollinem Aesculapii fecere patrem propter vim solis in herbas medicas, quorum pertinet illud Procli H. in Solem v. 21

Σῆς δ' ἀπο μελιχόδωρος ἀλεξιμάχῃ διαστείης

Παιῶν βλάστησεν, ἐὴν δ' ἐπέτασεν ὑγείην.

A tuo illo choro (planetarum quorum dux es) malorum depulsore etiam Paeon progerminavit ille mitium dator munerum, suam-

suamque filiam Salutem expandit. In hanc sententiam disputat etiam Sidonius ille apud Pausaniam 7, 23 p. 583.

2 Ἠπιόφρων etiam v. 5. Sic ἡπιόχειρον ὑγείαν Vela ut adspiret, rogatur in Hymno Orph. vers. ult. p. 178. Ἠπιόδότης invocatur ibid. praefat. p. 96, 36. Aeschylus Prometheo 481 κράσεις ἡπίων ἀνεσμάτων memorat. Nempe ἡπίος & ἡπιόδωρος & ἡπιόχειρ propria Apollinis Medici, atque Aesculapii epitheta, quod ostendit Spanhem. ad Callim. H. in Del. 214 p. 454. Conf. Callistrati statua Aesculapii n. 10 p. 902 post med. Μειλιχόδωρος παιήων eodem intellectu dicitur ut modo vidimus, Proclo H. in Solem v. 21. Nempe ut ait Aristides Asclepiad. p. 46 pr. Ὑγεία πάντων ἀντίρροπος ἡπίων: *sola aequiparat alia*, quae ἡπια *mitia*, jucunda, dulcia, vocari possunt, *omnia*. Aristides de fonte Aesculapii p. 253 pr. Θεῶν πρᾶότατον καὶ Φιλανθρωπότατον vocat. Phurnut. de Nat. Deor. 33 Ἠπιόνης, quam Aesculapii uxorem faciunt, nomine indicari ait τὸ πρᾶυντικὸν τῶν ἐχλήσεων, διὰ τῆς τῷ ἡπίε φαρμακείας. Add. Suid. V. Ἠπιόνη. Plurima in hanc rem collecta sunt in C. G. Schwarzii diss. de Aesculapio & Hygea DIS Φιλανθρωποῖς. Alt. 1725.

3 Ὑπνον ἀπὸ βλεφ. σκεδ. Ipsumne Aesculapium ad attentionem precibus praestandam velut e somno excitat? an laudat, quod mortiferum somnum excusserit oculis jam morientium? Puto hic posterius locum habere. Formulam illustro ex Orphico H. in Auroram v. 9 p. 174 Ὑπνον ἀπὸ βλεφάρων ἀποσείτης & Procli H. in Solem v. 41 Ἀχλὺν ἀποσκεδάσας.

4 Σῶν μερόπων. Vel simpliciter, ut primo interpretatus sum, *tuorum hominum*, id est, famulorum, *Mystrarum*, quos DIS commendare solent Orphici v. g. in Hymno Caeli extr. p. 100, Nerei p. 120, Apollinis p. 132, Tempestatum p. 142.

p. 142. Vel, quia de Aesculapio sermo est, in Co insula peculiariter culto, *Μέροπες* hic est proprium nomen Coorum, quorum insulam *Μεροπίδα* olim dictam esse, constat iis auctoribus, quos laudat Spanh. ad Callim. H. in Delum, 160. Add. Eustath. ad *Ιλ. A*, 250 p. 73, 28 & ad *Ιλ. B*, 678 p. 241, 12. & conf. Masson. vita Aristid. 6, 16. Firmius esset hoc, si in ipsa Co insula, non in Attica, inventum esset marmor nostrum: vel si ostendi posset, *μέροπας* dictos etiam alios Aesculapii ad Coorum exemplum famulos: vel denique, si hunc hymnum primo in nobili apud Coos Aesculapii templo cantatum, aliunde quoque probabile fieret. His dubitationibus satisfiet, & *μέροπας* propria illa significatione capiendos intelligetur, si ponamus Coos quosdam, Aesculapii sacerdotes, evocatos Athenas placandi Aesculapii causa. In Epidauriis quidem & Telesphoro tale quid factum, suadet Hymni in hunc v. 17, qui conferri potest.

5 Σὸν Δένος-πρῶτον, Ὑγείαν Hygeam esse cum Panacea, & Iaso, & Aegle, filiam Aesculapii, tralaticium est. Primogenitam esse, hinc discimus: & Plinius quoque 35, 11 s. 40, 31 primo loco eam posuit. Nempe Hygea Δένος, vis, robur Aesculapii est, tum quod filia est, ut Reuben in sacris *prima vis* patris sui dicitur: tum quod potestatem suam in eo praesertim exserit Aesculapius, quod *ὕγεια* salutem, sanitatem praestit. Sic ipse Aesculapius patris sui *φείβη' Απόλλωνος κρατερὸν θάλος* vocatur ab Orphicis H. in Aesc. p. 164. Eadem plane, h. e. duplici hac ratione Venus Aen. 1, 668 *Nate, meae vires, mea magna potentia solus*. Pulchre huc advocat German. Valens Guellius verba Etymologici M. quod, *ἴνις*, inquit, σημαίνει τὸν υἱὸν, τὸ βρέφος, ἢ τὸν ἀπὸ γονον, derivatque ab *ἴς*, *ἰνός* causa interposita, *δύναμις γὰρ εἰσι τῶν πατέρων οἱ υἱοί*. Est huic loco valde accommodatum, quod ex Marino, Luperorum poeta servavit Servius ad Bucol. 1, 20 *Romam Aesculapii filiam fuisse*, ab ea Romulum & ipsius urbem accepisse nomen. Tractant locum Rutgerf. Var. Lectt. 1 extr. & Salmaf. ad Solinum princ.

princ. In hanc Romam, ῥώμην, Valentiam, Aesculapii filiam, scripta est Ode Erinnae, quam inter carmina illius loco XIV dedit V. C. Io. Christ. Wolffius. Haec est DEa VALENTIA in vet. Inscr. ap. Grut. p. 2, 12. Nobis sufficit, Hygeam eandem esse ῥώμην, Valentiam, Δένος, patris sui Aesculapii. *Sanitatem* omnes integritate virium solemus metiri. Sic in fabula, quam narrat Suidas V. Ἀρχίας, de Myscelo Crotonis conditore, Δεῖγμα τῆς ἐν κρότωνι ὑγιείας ῥωμαλέοιτε εἶσιν οἱ ὀμνήμεναι, καὶ ἀθλητῶν ἢ πόλιν πολλῶν καὶ ἀγαθῶν μήτηρ ἐγένετο. Salubritas Crotonis, & victoriae gymnicae Crotoniatarum, aequae celebrantur. In nummo Matidiae Marcianae, Trajani Sororis F. apud Piovenum Musei Farnes. To. X extr. est Hygea seminuda Veneris habitu, cum titulo ΠΑΝΚΡΑΤΙΑΔΕΣ. Si esset πανκρατίδος, (pro παγκρατίδος) putarem epitheton Hygeae, a qua *pancratice valere* est apud Plaut. Bacchid. 2, 3, 14, ut alias Epid. 1, 1, 18 *Pugilice atque athletice valere*.

6 Ἐγραι ὦ. Non insolita Graecis transpositio particulae α. Od. Θ, 408 χαῖρε, πατήρ, ὦ ζεῦς. Plane ita Virgil. Georg. 2, 35 *Quare agite o, proprios generatim discite cultus, Agricolae.* Et Aen. 6, 194 *Estes duces o, si qua via est: & mox 196 Tuque o dubiis ne defice rebus, Diva parens.*

7 ἱήϊε. Si Hesychium audimus, ἱήϊος Apollinis epitheton, adjectivum est, (& sic ponitur in Hymno Orph. p. 130 v. 2.) cum aspero quidem spiritu (δασέως) ductum ἀπὸ τῆς αἰφύσεως καὶ τῆς τοξείας, nempe a verbo, ἵημι, mitto, jaculor: cum spiritu autem leni, ψιλῶς, ἀπὸ τῆς ἰάσεως. ἰατρὸς γὰρ ὁ θεός. Priori sensu accepit Apollonius Argon. 2, 713, & sic convenit cum nobili illo ἐφουμνίῳ, ἡ παῶν, cujus originem suavitatem Alexandrinis illis poetis propria enarrat Callimachus H. in Apoll. 97 sq. declaratque in ipso operis fine Athenaeus. Posterior ratio aptior Aesculapio: verum an satis ea Grammatica sit? item

an cogitaverit eam auctor hujus carminis? non ausim confirmare. Apollinis patris honores illi tribui, non mirum est, quem etiam Iovis nomine cultum viderimus.

6 Κέκλυθι, legendum esse pro vitiosis quadratarii ΚΑΙΚΑΥΤΙ, nemo credo dubitabit, qui consuetas illas in Orphicis & Procli hymnis invocationes cogitaverit. Illud χαῖρε, in salutandis DIS hominibusque solemne, illustratione non habet opus.

II.

PAEAN, s. HYMNVS HYGEAE.

Alteram partem hujus velut Liturgiae (neque enim adhuc occurrit verbum commodius) quam a superiore distinguit sequiverſus spatium vacuum relictum a quadratario, esse veteris poëtae, & integrum exſtare hodie carmen, quod hic misere laceravit temporum injuria, mox apparebit. Observaverat illud, & Illuſtri Arckenholtzio indicarat, Vir doctiſſimus *Carolus Abraham Clewberg*, Graecae & Orientis linguarum in Aboëniſi Academia Profeſſor, qui cum Illuſtriſſimum Comitem de la Gardie in hac literarum univerſitate comitaretur, Caſſellae vidit & Arckenholtzium. Ego cum hoc primum ab Illuſtri viro accepiſſem, valde initio repugnabam, qui ſolos tum Hexametros obſervaviſſem in marmore, quibus primus & ultimus hymnus conſtant, medium a lacunis deterritus nondum attigiſſem, nec talem conjunctionem trium Deorum & hymnorum tum cogitarem: ſed cum deinde ſingulis curate expendendis ad mediam partem paginae marmoreae perveniſſem, meis credere oculis coactus ſum, quod nunc meos lectores, doctus ipſe, certe monitus, a Clewbergio, poſſum docere.

Nempe mentionem Hymni in Hygeam fecit Lucianus de Lapſu inter ſalut, (dixerat *ὕγιαίνε* pro χαῖρε VALE pro SALVE vel

HAVE) c. 6 Το. I p. 733 ἵνα σοι τὸ γνωριμώτατον ἐκένω, καὶ πᾶσι διὰ φόματος, λέγω, Ὑγίεια πρεσβίσαι μακάρων μετὰ σου νέοιμι (sic editum ante nuperam Wetsten. quae habet νάιοιμι) τὸ λειπόμενον βιοτᾶς. *Notissimum* esse dicit initium Hymni & in omnium ore versari, Ὑγίεια πρεσβίσαι &c. Hinc colligit, ὥστε εἰ πρεσβίση ἐστὶν ὑγεία, καὶ τὸ ἔργον αὐτῆς τὸ ὑγιαίνειν, προτακτέον τῶν ἄλλων ἀγαθῶν. Si valetudo, quod hic dicitur, est Dearum antiquissima, & opus ejus est valere, hoc verbum *Vale!* reliquis bonis praeponendum est in salutatione. Citat eundem hymnum Maximus Tyr. Diff. 13 (al. 41) pr. ita, Ἀδεταί τι ἐξ ἀρχαῖς ἄσμα ἐν εὐχῆς μέρει,

Ὑγίεια πρεσβίσαι μακάρων
 Μετὰ σέυ νάιοιμι (νέοιμι MS.)
 Το λειπόμενον βιοτᾶς.

Sed subjiciamus etiam reliqua servata ab Athenaeo, in ipso fine Δειπνοσοφιστῶν, ut comparari commodius cum nostra inscriptione possint. Παιᾶνα, inquit, εἰς ὑγίειαν ἐπέμπε τόνδε Ἀγίφρων ὁ Σικυᾶνιος. Deinde ponit tres versus modo laudatos ac pergit,

Σὺ δὲ μοι πρόφρων σύνοικος εἶης.

5 Εἰ γάρ τις ἢ πλέτε χάρις, ἢ τεκέων,

Τᾶς εὐδαίμονός τ' ἀνθρώποις

Βασιληίδος ἀρχαῖς, ἢ πόδων,

Οὓς κρυφίοις ἀφροδίτης ἀρκυσιν θηρένομεν,

ἢ εἰ τις ἄλλα θεόθεν ἀνθρώποισι τέρψις,

10 ἢ πόνων ἀμπνοὰ πέφανται.

Μετὰ σεῖο μάκαιρα ὑγίεια

Τέθηλε πάντα, καὶ λάμπει χαρίτων ἔαρ.

Σέθεν δὲ χωρὶς ἔτις εὐδαίμων.

Haec verbum verbo reddens ita interpreteris:

Salus, antiquissima Dearum,

Tecum habitem

Quod reliquum est vitae.

Tu vero mihi propitia contubernalis esto.

5 *Si qua enim aut divitiarum gratia aut liberorum,*

Felicisque hominibus

Regii imperii, aut desideriorum,

Quae occultis Veneris retibus venamur;

Aut si qua alia divinitus hominibus oblectatio,

10 *Aut laborum respiratio ostenditur:*

Tecum, Diva Salus,

Florent omnia, & lucet Gratiarum ver.

Te sine vero nemo felix.

Saepius editum est extra Athenaeum hoc carmen, ut a Iosepho Scaligero Poëtices 1, 44: a Freder. Morello, cum Latina versione sua, & Orphicis in Aesculapium & Hygeam hymnis Paris. 1615, 4: denique a Mich. Maittaire in Miscellaneis Graecorum carminibus Londi. 1722, 4. n. 3 p. 16, cum annotationibus p. 145.

Denique non insolitum etiam posterioribus fuisse Hygeae Hymnos dicere, vel solus Aristidis locus indicat, qui de se Orat. sacra I p. 281 pr. Ὑγιείας, inquit, ἐδόκην τι λέγειν ἐγκώμιον.

Sequuntur ergo in tabula marmorea istaec:

1 ΥΓΕΙΑΒΠΟΤΟΙΧΗΠΕΒΙCΤΑΜΑΚΑΡΩΝΜΕΤΑCΟΥΝΕ

2 INTOΛEΠOMENONB- - OYCYΔEMOIΠPOΦPΩN

3 ZYΓEIH NHΔAYΘITY I- ω - - M -- HN - - - Pω

4 ωNHΔAYΘICEYΔAIMONOCA . - PωI - - - IAH

5 IDOCAPXACHΠIO - - Y - - - A-P - - - TA

6 YCIOHPETOMEN - - TINALLAN

7 OPωΠOICITEPΨINHΠONωN

8 TAIMETA - - -

9 ΠEIXAPITON - - -

10 EYΔAIM - - -

Haec jam cum Ariphronis hymno, qualem ante proposuimus, licet comparare.

Ac primum quidem illud observo, non plane inter se convenire verba Paeanis, ut ab Athenaeo relatus est, & quae hic exhibentur, sive quod memoriae mandatus a pluribus, ut fit, ab ingenio eorum, qui mandarant, hic illic immutatus vel interpolatus est; sive, quod hujus monumenti auctor, consulto quaedam mutavit, ut magis ad scopum, nobis quidem incognitum, adtemperaret; sed verior prior illa ratio videtur.

Hygeam ut personam, ut Deam, alloquitur auctor; nec tamen alia ponit illius attributa, quam quae proxime & ἀμέσως ad valitudinem pertinent, ut non tam filiam proprie dictam faciat Aesculapii, cujus in honorem, in cujus templo canitur hic Paeon, quam munus & ἀποτέλεσμα.

Βροτῶσι. Haec vox nusquam, nisi in lapide animadversa: concinna tamen, quae indicet, homines esse, qui Deam faciant, ut in illo, *sed nos Te facimus, Fortuna, Deam.*

Πρεσβια, Dorice pro πρεσβια, quod epitheton interdum ad temporis antiquitatem refertur, ut in illa Orphica εὐχῇ πρὸς Μεσῆιον v. 24 p. 94 Εἰchemb. Νύξ πρεσβια, ex qua orta sunt omnia

omnia, Scaligero *Maia*: Sic Μοῖρα πρέσβις Erinnae p. 18 Wolf. quia fato nihil antiquius. Sed hic potius ad pretium honoris & aestimationem respicit, ut Latini quoque *nihil sibi antiquius* esse dicunt. Ita certe interpretatur nescio quis apud Suidam V. Αρχίας, ubi de divitiis & valetudine inter se comparatis, τῶν ἐν ἀγαθῶν τῶν ἀνθρωπικῶν τὸ μὲν (ὕγεια) πρεσβύτερον, τὸ δὲ (πλεῖτος) δεύτερον, ὡς καὶ Πλάτων φησὶ, καὶ τὸ σκολιὸν ἄδει. Respicit ad locum Platonis in Gorgia p. 283, A. ubi Socrates, εἰμαι, inquit, σὲ ἀκηκοέναι ἐν τοῖς συμποσίοις ἀδόντων ἀνθρώπων τῷ τὸ σκολιόν, ἐν ᾧ καταριθμῆνται ἀδόντες ὅτι ὑγιαίνειν μὲν ἀριστὸν ἐστίν. τὸ δὲ δεύτερον καλὸν γενέσθαι· τρίτον δὲ τὸ πλεῖτεν ἀδόλως. Sunt ibi plura de praestantia sanitatis: sed nos non postulamus Platonis testimonio vincere, quantum bonum sit sanitas: verum quid πρέσβις sibi velit ex usu loquendi declarare. Sic Aristid. de Concord. urb. T. 1 p. 520 med. δεύτερα τις ἀποικία, -- τῇ δὲ ἀξιά καὶ τῇ δυνάμει πολὺ πρεσβυτάτη πασῶν ἀποικιῶν.

νεῖν sic semper fuit in marmore: nullum certe oblitteratae literae vestigium deprehendo. Primo νέω hic positum pro ναίω, nec sine exemplo, si recte apud Alexandrinum Clementem Strom. 4 p. 211, 48 Potter. in versibus Simonidis legitur νέειν, pro quo ναίειν posuit Stephanus. Etiam apud Max. Tyrium & Lucianum in prima Syllaba quosdam habere ε, observatum est.

Deinde contra Grammaticorum regulam contractum videri potest verbum νέω, quam consuetudinem tamen reprehendit Lucianus Lexipha. c. 15 (T. 2 p. 342 pr.) Σὺ μὲν εἰ βέλεις, πλεῖ (pro πλέε) καὶ, νεῖ, καὶ θεῖ, κατὰ τῶ κλύδωνος. Denique cum Attici dicant pro δοκέοιμι δοκῶν. Forte voluit auctor νόμην pro νεόμην. Iotacismus pronunciationem corrumpit, hanc secuta scriptio vitiosa illa sane, sed non sine exemplo vel in hoc marmore vel in aliis.

2 *βίετθ*. Magis ad Dorismum flexum est *βιοτᾶς* apud Athenaeum.

3 Priores literae hujus versus ita expressae, ut nullum dubitationi locum relinquant. Interim conciliare illas cum Athenaei Paeane v. 4 non possum. Illud animadverto, in fine superioris versus posse intercidisse unam alteramve literam vocis in ξ terminatae: *ὑγεινή* esse nomen quod in hygeae Hymno facile quaeras. Sed nihil ad summam rei haec proficiunt. Cum plura sint in hoc marmore ruditatis specimina; cum passim discedatur a formula Athenaei: in mentem venit putare, voluisse auctorem, *ξυγγεινή*, quod synonymon foret illi *σύννομος* eius, & ab eo, quod quadratarius dedit, parum distat. Reliqua felicioribus divinanda relinquo.

4 *Ευδαίμονος*, lectionem vulgatam Athenaei, firmat etiam tabula. Casauboni *ισοδαίμονος* elegans ipsum quoque, cum DIs similes putentur, aequalesque adeo, qui cum imperio sunt.

5 *Πόθων* rectum haud dubie: secunda litera I in tabula apparet. Literae, quae sequuntur, vix conciliari cum Athenaeo possunt. Dinumerare spatia literarum & inde conjecturam capere vel examinare non licet, cum illae in marmore nimis inaequales, nunc distractae nunc constipatae sint: quae res majorem illa quidem coniiciendi licentiam praebet, sed eo ipso τὸ πιθανόν, ne dicam certum, excludit. Piget autem Criticum, si cor habet, earum conjecturarum, quarum decem, & plures forte similes & aequae probabiles possunt a mediocri ingenio excogitari. Non videndum quid esse potuerit in tabula, sed quid fuerit. Certe ea sola pro certis haberi possunt, ad quae unus tantum est aditus.

6 Etiam hic variatur : τὴν ἄλλαν -- τέρψιν habet tabula. Habueritne eadem Θεόθεν πέφανται, & Soloecismum vel Θεοὶ cum verbo deponenti, ad quod referantur accusativi, quale est δεδώρηται, non ausim dicere.

III.

HYMNVS TELESPHORI

Quae deinde sequuntur in tabula nostra, ea non jam Oedipo opus habent, sed plane Apolline. Ego autem ne Oedipum quidem polliceor. Publicare tamen haec quoque
 Tab. V. visum est, si qua forte undecunque lux aliquando illis adfulgere possit. Ultimos autem XII tabula aenea exsculpendos curavi, quia sunt aliquantum integriores, & aditum habent ad restituendam illorum pristinam formam. Dicam, quid in re, quam praeter imperitiam quadratarum, etiam obscuravit injuria illata marmori, videam, certe suspicer: reliqua permitto a casu vel ab ingenio felicioribus.

§. I.

Iam primum illud video, novum carmen hinc incipere. Suadet hoc non Athenaeus modo, qui & ipse in voce εὐδαίμων Paeanem Ariphronis finit: sed illud praesertim, quod reliquum versus spatium, & totius praeterea versus spatium intermissum est in tabula: quo genere etiam primum hymnum ab altero discretum observavimus. Deinde recurrens aliquoties vel integrum, vel truncatum certe, nomen *Telesphori* suadet, huic sacratum esse, quidquid hic est carminis. Deprehendi per hanc ipsam occasionem, nondum ea diligentia, qua de ceteris Theologiae gentilis partibus, expositum esse de Telesphoro *): puto, quod recentior est Deus, & Antoniniano de-
 mum

*) Est tamen Pe. Zornii de Telesphoro in nummis, gemmis, & inscriptionibus veterum, Aesculapii & Hygeae comite, dissertatio in Mi-

scella. Groningani To. 2 Fasc. 2, 1: sed e qua nihil eorum, de quibus hic quaerimus, discitur.

num saeculo in senatum illum adscitus. Itaque operae pretium videtur, (modo ullum sit in talibus operae pretium) & de nomine hujus dei, & de historia, quantum ejus non negligeret quaerenti invenire licuit, explicare.

§. II.

Homero patri, ut hinc exordiamur, τελεσφόρος, quasi tu *finitore* aut *consummatore* dicas, est anni epitheton semper: quod ita interpretatur Eustath. ad Ιλ. Π, 630 p. 1103, 46 Ἐνιαυτὸς τελεσφόρος, ὁ πᾶν ἀγαθὸν τὸ ἐν γῆς εἰς τέλος ἄγων τῇ περιτροπῇ, καὶ μηδέν τι ἐλλείπων. Fuerit itaque annus τελεσφόρος, qui ad finem suum & perfectionem res omnes perducit. Idem Eustath. ad Ιλ. Φ, 450 p. 1337, 25 τελεσφόρος etiam dici putat *horas anni*, s. tempestates: & ad Οδ. Δ, 86 p. 152 extr. τελεσφορεῖν καὶ ἀπλῶς εἰς πέρας ἄγειν, (ad finem perducere) ὅθεν καὶ Δίκη τελεσφόρος, ἔτι δὲ καὶ Ἐλπίς. *Iuri* s. *Iudicio* hoc epitheton recte tribui monet, quo finiuntur lites; & *Spei*, cum exitum habet: & ad Ξ, 292 p. 548, 28 λόγος τελεσφόρος illi est, ὁ εἰς ἔργον ἀπειβᾷς, cum verbis facta respondent. Sic apud Sophoclem Electra v. 648 precatur Clytaemnestra, ut somnia sua, si sint bona, velit Apollo δῆναι τελεσφόρα h. e. implere, facere ut eveniant illorum significata. Sic poni video in Sibyllinis p. 328 extr. ubi de falso Propheta & miraculorum mendacium patratore, Ἀλλ' ἐχὶ τελεσφόρα ἔσσει' ἐν αὐτῷ, Ἀλλὰ πλάνα. Porro in Hymno Orphico v. 9 p. 106 est Lunae epitheton, quod Scaliger audacter sed feliciter reddidit *Percoquiflux*: quo etiam utitur in H. Terrae v. 2 p. 122 ad idem epitheton interpretandum. Sed H. in Silen. v. 9 p. 150 ληνᾶια τελεσφόρα bene rite *patrata vitulamina*: voce, credo, de illius sententia, proparoxytono: quod forte in aliis etiam malint Grammatici, ubi passiva potius quam activa significatione intelligunt. Sed quid si semper active debet accipi? Ληνᾶια τελεσφόρα *litantia*, *perficientia* id, cujus causa instituuntur, In Homeristae Hymno in Iovem s. 22, 2 Iovis epitheton est.

ut videtur, quatenus iusta iudicia facit. Locum suavem cor-
ruperunt interpretando, cum ἐγκλιδόν reddidere *seorsum*. Lau-
dat auctor Iovem

Ἐυρύοπα κρείοντα, τελεσφόρον, ὅς σε Θέμισι
Ἐγκλιδόν ἐξομένη, πυκνὰς ἰάρας ὀαρίζει.

*Late prospicientem, regnatorem, perfectorem, qui assidenti The-
midi, atque ad ipsum se applicanti, & ad aurem acclinanti, cre-
bro & familiariter colloquitur.* Aeschilo Prom. vincto v. 510
μοῖρα τελεσφόρος, scholiasta altero interprete, est ἡ εἰς τέλος φέ-
ρσα πάντα. Noster quoque Lucas 8, 14 τελεσφορεῖν dicit,
metaphora a seminibus petita, fruges ferre. Nempe etiam
de vitibus Etymol. M. V. Ἀμβλωσαι, ὅποτε τὰς λεγομένους ὀφθαλ-
μοὺς ἀποκαυθεῖεν, λέγουσιν αὐτὰς ἀμβλωττεῖν (caligare, caecas
esse, excaecari) ἀντὶ τῆς ἐτελεσφορεῖν καρπὸν, non perferunt ad
maturitatem. Et Arria. Epict. 4, 7 κατορυγῆναι δεῖ -- τὸ σπέρμα-
αὐξηθῆναι, ἵνα τελεσφορηθῇ ut ad maturitatem perveniat. Se-
cundum haec τελεσφορεῖν dicitur planta, quae fructus ad ma-
turitatem perducit, fructus autem τελεσφορεῖσθαι ἢ τελεσφορη-
θῆναι. Hesychius τελεσφόρος, inquit, ὁ τελεσφορῶν καὶ ὥραν
τὰς καρπὸς, ἢ ὁ τελείως αὐτὸς φέρων. Addit, τελεσφόρος οἶκος τῆς
γεγαμνηκός καὶ τεκνώσαντος. Est igitur hic comparatio simi-
lis illi Davidicae, qua uxor fecunda viti assimilatur.

§. III.

Quid vero sibi volunt Suidas & Etymol. M. cum τελεσφό-
ρος iis est τέλειος, μάντις, ἐγγαστρίμυθος; non perfectus modo,
sed vates etiam ἢ hariolus, & ventriloquus. Breviter dicam.
Hauserunt hoc Grammatici ex veteri interpretatione Graeca
Deuteron. 23, 17 ubi Ebraica legimus ista,

לֹא תִהְיֶה קְרֶשֶׁה מִבְּנוֹת יִשְׂרָאֵל
וְלֹא יִהְיֶה קְרֶשׁ מִבְּנֵי יִשְׂרָאֵל :

quae antiquitus diversimode conversa sunt. Septuaginta, ut
hodie habent libri, duas interpretationes, conjunxere, ita:

Οὐκ

Οὐκ ἔσαι πόρνη ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραήλ, καὶ ἐκ ἔσαι πορνείων ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ. Οὐκ ἔσαι τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραήλ, καὶ ἐκ ἔσαι τελισκόμενος ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ. Non est hujus loci varietatem omnem veterum interpretum hic repetere, memorabilem sane, de qua copiose Spencerus 2, 35 p. 561 sq. & laudatus modo ad §. 1 Zornius. Maneamus in his, quae cum Telephoro nostro conjuncta sunt. Igitur Philo in libello de sacrificantibus p. 856 (Mangeji p. 260, 15) cum manifesto ad h. l. respectu, Μηδεὶς, inquit, μηδὲ τελείδω τῶν Μωσέως φοιτητῶν καὶ γνωρίμων, μήτε τελείτω. Primum ita loquitur Philo, ut non gente tantum Iudaeos, Israelis posteros, sed Profelytos etiam comprehendat, & loquitur ut de legislatore philosopho, quorum sunt φοιτηταὶ & γνώριμοι. Prohibet, ne quis discipulorum & familiarium Moysi initiandum se mysteriis alienis, impuris praebeat, ne quis alios initiet. Disertior est Theodoretus, qui Interrogat. 28 in Deuteron. hunc ipsum locum declaraturus, Ὡσπερ, inquit, ἡμεῖς πιστὸς ἐνομάζομεν τὰς τῶο θεῶν μυσηρίων μετέχοντας, ἕως τελισκομένους ἐκάλει τὰ ἔθνη τὰς δαιμόνων τινῶν διδασκομένους μυσηρία. Τελεσφόρον τοίνυν καλεῖ τὸν μυσαγωγῶντα*, τελισκόμενον δὲ τὸν μυσαγωγῶμενον. Hinc igitur in illa Hesychii & Suidae collectanea venerunt illae interpretationes: quod ἐγγαστριμύθους etiam huc attulere, inde est, quod deserta etymologia & primo intellectu, omne genus magicae divinationis, & occultas cerimonias hoc nomine comprehendebant.

§. IV.

Ac forte in Aegypto primum natam suspicari fas est, illam notionem nominis τελεσφόρος, quod Alexandrinos Iudaeos illa usos videmus, & antiquior, si modo, Apollonius

P p 3

Rho-

*) Melius dixisset τὴν μυσαγωγῶσαν, piatricem quandam, antistitamque occultorum sacrorum; respondet enim femininum ηὐρη.

Talis erat mater Aeschinis, τελεσσα, de qua Demosth. pro Coro. c. 79.

Rhodius ab adscita civitate, genere autem & ipse Alexandrinus, primus forte externorum τελεσφορίας hoc sensu dixit. Nempe Argon. 1, 915 appellant Argonautae ad Samothracen hoc consilio,

ἔφρα δαέντες

Ἀρρήκτες ἀγανῆσι τελεσφορίῃσι δέμισας,

Σωότεροι κρύεσσαν ὑπεῖρ ἄλλα ναυτίλλοιτο,

ut edocēti severis castibus ac ceremoniis jura non violanda, (ritus sancte observandos) eo magis salvi per horrendum mare navigent. V. Schol. ad h. l. Τὰς τελετάς λέγει τὰς ἐν Σαμοθράκῃ ἀγομένας, αἱ εἴτις μνησθῆναι ἐν ταῖς κατὰ θάλασσαν χειμαῖσι διασώζεται. Cum τελετάς dicit, (quo nomine in hac ipsa narratione utitur Diodorus Sic. 4, 43 pr.) ad communem originem hujus nominis & τελεσφορίων respicit: ac deinde exempla de Iliaca fabula refert, qui per illa Samothracia mysteria, eorumque symbola, servati sunt. Quisquis est auctor Orphicorum Argonauticon, antiquior certe Apollonio, rem ita narrat, tanquam ex persona Orphei, ut appareat eo respexisse Apollonium. Nominat

Ζαθέην σαμοθρήκην,

Ἐνθα καὶ ὄρεα φρικτὰ θεῶν ἀρρήκτα βροτῶσιν,

Ἄσμενοι εἰσεπόρησαν ἐμῆς ὑποθημοσύνησιν

Ἡρώες. μετὰ γάρ σφιν ὀφέλσιμον ἀνθρώποισι

Τῆς δὲ θυπολιῆς ἄμοτον πλωτῆρσιν ἐκάτοισι.

Ὀρεα ἀρρήκτα hic dicuntur, unde ἀρρήκτες δέμισας expressit Apollonius. Nempe ita Orpheus de Samothrace, ubi etiam federa terribilia Deorum, nunquam rumpenda mortalibus, lubentes ingressi sunt meis monitis Heroës. Inter haec enim federa utilitas immensa (inexplebilis) hujus religionis navigantibus singulis contingit. Quod ὄρεα, vocat illa mysteria, indi-

cat

cat, intercessisse juris jurandi quandam religionem, quo silentium, honestas, pietas, castus quidam, promitteretur antistibus sacrorum: ut mox ab initio hujus carminis cecinisse memorat v. 11

Θνητοῖς ἀνθρώποισιν ἄκη, μετὰ δ' ὄρκια μύσαις:

Et v. 25,

ὄρκια ἰθαίων κορυβαίντων.

Nempe ibi enarrat omnia pene sacra antiqua Graecorum Orpheus, seque illorum doctorem facit, nec omissa Samothrace. v. 29. Quae ergo hic sunt ὄρκια & θυηπολῖαι, eae ab Apollonio τελεσφορίαι vocantur, ritus occulti jurejurando sancti, a quibus incolumitatem & salutem sperarent, & quid non?

§. V

Longa est, & jucundi instar somnii, suavissima enarratio bonorum, quae promittuntur his, qui in Mercurii antrum intrent h. e. sapientiam Orphicam discant, in prooemio libelli de Lapidib. 17—55. Perfectissimus sane hominum fuerit, si quis ea consequatur. Ad perfectionem ergo tendunt illi ritus: hinc vocantur τελεταί, τελεσιργίαι, τελεσφορίαι, hinc τελεῖν perficere dicitur Mystagogus novos mystas, qui & τελεστής ac τελεσφόρος perfectior vocatur, quemadmodum isti dicuntur τελίσκεθαι, & cum peracta est omnis cerimonia τέλειοι, τετελεσμένοι, perfecti. Nempe Deum praesentia, conjunctione cum Diis, quam promittunt istae religiones, solent homines sui meliores, perfectiores, fieri, ut ait Apul. Met. 8 p. 172, 31 Pric. Vid. omnino Diod. Sic. 5, 49 extr. Propter magnifica illa promissa Magus olim dictus Orpheus non tantum ab Aegyptio illo apud Pausan. Eliae. post. l. 6, 20 p. 505. sed multo prius, teste Prooemio de lapid. v. 72 Ἐπωνυμίην λαοὶ τεύξασι (sic leg. pro τεύξασι) Μάγιστο.

§. VI.

§. VI

Antiquissima fuit religionis, superstitionis, magiae, cum Medicina societas: de qua pauca dicere quam multa difficilius est. Videre licet, qui dubitat, Plinium, tum sexcentis aliis locis, tum bona parte libri 28. it. Ro. Keuchenii ad Serenum Samonicum Prolegomena & Annotationes, & cet. Illud ad praesentem causam satis est, videri Telephorum in Aesculapii & Hygeae societatem assumptum ob illud medicinae genus, quod naturale cum esset, idem tamen causis occultis, quarum ratio agendi plane ignoraretur, putabant contineri, quo in genere sunt oracula Deorum per insomnia, incantationes, & verba potentia, annuli Physici e. i. g. a. quibus postea accesserunt icunculae, laminae, gemmae signis quibusdam, certo caeli & siderum positu, sculptae, quod genus *Talismanum* nomine appellare solent ab Arabibus adhibito, qui illud ex τέλεσμα Graecorum formarunt: in quibus astrologica vanitas, & sancta religionis verae nomina, veterum superstitionibus partim admista sunt, partim succedere. Sed haec recentiora, & frustra relata ad Tyanensem Apollonium, quod olim pulchre ostendit (Bibl. Brem. T. 3, 1) ὁ πάνυ Moshemius.

§. VII.

Medicae superstitionis praeses deus apud Graecos Asiatikos, sub Hadriano, Pergami & in illa vicinia prodiit, quantum indagare potui, Telephorus, sive tum primum excogitatus, sive ex mysteriis, (*) in quibus eum adhuc delituisse suspicor, prolatus sit. Suadet hoc tum ipse vocis usus, ab Aegyptiis, superstitionum auctoribus ortus, tum quod hic deus apud

(*) Hoc circa illa tempora factum, ubi Mystéria in lucem prodirent, nuper monitum est Com-

mentar. To. Ip. 150 & facile fuerit iusto commentario ostendere.

apud Pergamenos primum, quoad ejus hodie constat, coepit celebrari. Observabilis est locus Pausa. Attic. f. 1, 4 Ἦν νέμονται οἱ περγαμηνοὶ, καβείρων ἱερὰν φασιν εἶναι τὸ ἀρχαῖον, *Quam regionem Pergameni incolunt, eam Cabiris sacram olim fuisse.* Cabiri autem sunt Samothracii Dii, quorum mysteria, τελεσφορίας dici, modo ostensum est. In epitome libri 7 Strabonis extrema Dardanus (a quo magicae artes *Dardaniae* vocantur Colum. 10, 358) e Samothracia in Troada intulisse dicitur mysteria, hoc est in Pergamenorum viciniam. Ipsum Berytensum Aesculapium unum Cabirorum facit Damascius in vita Isidori apud Photium Cod. 242 p. 573 Hoesch. Facit ad hanc originem, quod Pygmaei alicujus staturam habet Telesphorus. Cabirorum enim proles, an pars? ipse quoque fuit: atqui horum imagines mysticae *Pygmaeorum instar habebant*, quod docet Herodotus 3, 37. Frustra solitam Pygmaei notionem in eo loco sollicitat Gutberlethus de mysteriis Cabiror. c. 6 p. 43. Plane repugnat illi, quem pro se citat Theodotion, qui Ezech. 27, 11 גִּמְרִים turrium quosdam praefides ac propugnatores, πυγμαῖς reddidit, non quos viros fortes intelligeret, sed cum respectu ad גוֹמֵר quod cubitum notat.

§. VIII.

Idem Pausanias Corinth. f. lib. 2, 11 cum narrasset de Aesculapii & Hygeae signo in fano Aesculapii Titanensi, addit, in eodem etiam esse signum Alexanoris (quasi tu *depulsorem* malorum *virum* dicas) eum porro esse Aesculapii ex Machaone nepotem; itemque *Evamerionis*, cui tanquam Deo *sacrificet*, ὡς θεῷ θύουσι, (Alexanori autem, ut Heroi, ἐναγίζουσι tantum, *parentant*) Tum subjungit, quod maxime huc pertinet, εἰ δὲ ἐρθῶς ἐνιόζω, τὸν Ἐυαμερίωνα τῆτον περγαμηνοὶ τελεσφόρον ἐκ μαντεύματος, Ἐπιδάμνιοι δὲ Ἀκέσιον ὀνομάζουσι. *Evamerion* ad dierum electionem videtur respicere, in qua inest magna pars medicinae, praesertim superstitionis illius & telesticae. Ἀκέσιος ἀπὸ τῆς ἀκείνῃ dicitur, ut Ἀκισῶ est filia Aesculapii apud Suidam

dam V. Ἡπιόνη. De viso s. ex oraculo, Pergameni colunt
Telephorum, vel eundem, vel similem certe Evamerioni:
res nova esse debet, quod haec ipsa formula, ἐκ μαντεύματος,
indicat.

§. IX.

Post haec Aristidi praesertim inobilitatem suam debet
Telephorus, cujus ille passim mentionem faciat in orationi-
bus sacris. Inspiciamus loca, quod eadem nobis vim hujus
Dei declarant. Ac primo mysteria quaedam fuisse Aesculapii,
declarat oratione de concordia vrb. T. 1 p. 520 med. Nullam
ait sodalitatem tanti esse, ὅσον χρεῖμα καὶ κέρδος εἰς Ἀσκληπιῶ τε
συμφοιτῆσαι, καὶ ΤΕΛΕΣΘΗΝΑΙ τὰ πρῶτα τῶν ἱερῶν, ὑπὸ τῷ καλ-
λίστῳ καὶ τελεωτάτῳ δαδέχῳ καὶ μυσαγωγῷ, καὶ ᾧ πᾶς ἀνάγκης ἐν-
κει θεσμός. Secundum haec praeclarum quiddam est frequenta-
re templum Aesculapii, & initiari sacris omnium primis sub
Mystagogo pulcherrimo perfectissimoque, cui ipsa fati lex coga-
tur cedere. Hanc δαδελίαν, hanc μυσαγωγίαν tradidisse videtur Ae-
sculapius Telephoro h.e. initiatori. Deinde orat. S. 2 p. 293 post
pr. Ὁ βαλσάμῃς ὁπὸς, δωρεὰ τῷ τελεσφόρῳ τῷ Περγαμηνῷ, datur Ari-
stidi ab ipso Aesculapio in illius templo Pergameno. Ibid.
p. 297 post pr. cum oporteret alias particulam corporis abscis-
sam pro salute totius abjicere, permissum Aristidi divinitus,
ut pro digito annulum, quem gestabat, dedicaret Telepho-
ro, inscriberetque in annuli pala, Saturni fili, δακτύλιον ἀνα-
θεῖναι τῷ Τελεσφόρῳ (τὸ γὰρ αὐτὸ ποιεῖν, ὥσπερ ἂν εἰ τὸν δάκτυλον
αὐτὸν προείμην) ἐπιγράψαι δὲ εἰς τὴν σφενδόνην τῷ δακτυλίῳ, κρένε
πᾶσι. ταῦτα ποιῶντι σωτηρίαν εἶναι. Orat. Sacra 3 p. 312 extr. Ne-
rito, nutricio Aristidis, apparet una cum Telephoro Aescula-
pius, & prodigiosa quaedam medicamenta alumno suo ferenda
tradit. Item p. 314 sq. conjuncta Aesculapii, Hygeae, & Te-
lephori mentio, ut appareat esse συννάες. Idem apertum est
ex Orat. 4 p. 324 med. Nam Pergami in templo Hygeae se
collocutum narrans, locum colloquii ita signat, ὃ ὁ τελεσφόρος.
Tres

Tres Dii conjunguntur in tripode, quem posuit Aristides (quod ipse testatur ibid. p. 332 med.) habente *εἰκόνας χρυσᾶς τρεῖς, μίαν καὶ ἑκάστον πόδα, Ἀσκληπιῶ, τὴν δὲ Ὑγίειας, τὴν δὲ Τελεσφόρου*. Nescio quam antiqua sit Inscriptio, quam, Veronae in S. Pauli olim exstantem, e Marcanovae Ms. cod. Sirmondus misit Grutero, qui eam publicavit p. 1073, 5 talem:

ΑΣΚΛΗΠΙΩ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩ

ΥΓΕΙΑ ΤΕΛΕΣΦΟΡΙΩΝΙ

ΘΕΟΙΣ ΣΩΤΗΡΕΙ ΠΟΛΙΣ

Sperabam, me illam inventurum in Museo Veronensi; sed nulla ibi illius mentio: quo minus licet jam divinare, quae urbs illam dedicaverit. Pergamum non esse, forte suspiceris ex Pergameni cognomine Aesculapii. Quid si πόλις κατ' ἔξοχὴν ita dicta, Athenae, fuerit? Vid. quae mox dicimus ad v. 6. Sed potest aliquis invertere, & πόλιν intelligere Pergamum &c. Hanc vero passim triada in nummis gemmisque congi, mox observabitur.

§. X.

Nunc Telephori historia persequenda est, sive fabula potius referenda Telephori Proclo parentis, eumque curantis, apud Marinum in vita illius c. 7 p. 15, qui locus negotium successit juveni tum Fabricio. Proclo gravi morbo decumbente *παρέστη τῇ κλίνῃ ὑπερφαινόμενος παῖς, ὃς ἔδοκει νέος κομιδῇ καὶ ἀρᾷος ἰδεῖν. εἰκάσαι δ' ἦν αὐτὸν εἶναι τὸν Τελεσφόρον καὶ πρὶν τὸ ὄνομα εἰπεῖν. εἰπὼν δὲ ἑμῶς ὅστις εἴη, καὶ τὸ ὄνομα ἐπιφθεγγόμενος, καὶ τῆς κεφαλῆς ἐφαψάμενος, αὐτῷ γὰρ πρὶν καὶ ἐπὶ τῇ τῷ προσκεφαλαίῳ ἐπαναπαυόμενος, quod ita interpreto, Adstitit, supra lectum visus, puer valde recens (parvus velut recens natus) & pulcher adspectu. Licebat conjicere Telephorum esse, ante etiam quam nomen diceret; ille tamen cum dixisset, quis esset, nomine etiam suo pronunciato, & capite illius contacto, ibi enim*

flabat, innixus cervicali &c. Nondum eo tempore noverat Telesphorum vir magnus, non *procerum* dicturus alioqui neque *juvenem*, neque Apollinem interpretaturus, a quo annus etiam *τελεσφόρος* dicatur. Ὑπερφαινεῖσθαι non esse simpliciter ad lectum adstare, sed supra lectum se videndum praeberē, docere potest Thucyd. 4, 93 & 96, ubi de hostibus subito in colle aut loco superiore se ostendentibus adhibetur.

§. XI.

Celeberrimus ab eo tempore in ore Philosophorum eorum, quos Mysticos vocare licet, videtur fuisse Telesphorus, de quo etiam esse debent aliqua apud Damascium in libro *περὶ ἀρχῶν*. Habuit librum illum, ut ex observationibus ad Iamblichum constat, Tho. Gale, cujus huc referenda est ad Phurnuti de Nat. De. c. 33 extr. adnotatio, „Proxime post „Aesculapium in catena (Deorum salutarium) constituitur Telesphorus, qui τὸ ἐλλείπον ἀναπληροῖ. Damasc. ex Orpheo, „Servatur exemplum operis etiam in Bibliotheca Hamburgensi, unde excerpta dedit vir beatæ & immortalis memoriæ Io. Christo. Wolfius Anecd. To. 3. Cum suspicarer, si forte essent in eo plura de Telesphoro, egi cum fratre Wolfii, Io. Christiano, humanitate illi atque amore mei gemello, ut librum excuteret. Fecit ille, quod rogatus fuerat, ac diligenter, ut solet: sed nec volam nec vestigium ibi invenit. Venatus igitur hic fuit sine præda: nisi quod hanc ipsam prædam nec contemnendam retulimus, ut sciamus, tenebras placuisse pumilioni Deo, & solitum in sua cucullata penula, suis in mysteriis, delitescere. Forte, qui videbunt ista eruditi in Anglia homines, in quibus peculiariter appellare licet te, IO. TAYLOR, teque ANTO. ASKEVV, præstantis doctrinæ & humanitatis viri, tanti putabunt quaerere, quid viderit Galeus?

§. XII.

§. XII.

Quid si idem fatum habuit, quod sodalis illius Glycon ille Abonoteichitarum, Alexandri Pseudomanteos opus, qui illo ipso saeculo magnam subito apud superstitiosum vulgus celebritatem nactus, subito idem periit, & perierat memoria quoque illius funditus, nisi nummis quibusdam commendata esset, (Vid. Spanh. de usu & praest. num. Diss. 4 p. 213 seqq.) & Luciani libello infamata. Pudit, credo, mature homines illius Dei, & vix προκύψαντα suis tenebris reddidere. Medici quidem nobiliores & saniores nihil sibi negotii cum Telesphori superstitione esse voluerunt. Pergamenus de sede Aesculapii Galenus, non habet, puto, Telesphori nomen: & e tanta scriptorum illius mole vix unus alterque locus prolatus est, ubi somnia ab Aesculapio immissa videtur laudare. Vid. Clerici Hist. Med. 3, 1 p. 116. Aretaeus Cappadox, e patria ignorantiae & superstitionis, nullum ejus habet vestigium: atqui eo uterque tempore vixit, quo nummis Trias illa Medica, Aesculapius, Hygea, & Telesphorus, celebrata est. Nec Medici ab H. Stephano editi illius mentionem, si bono indici fides est, injiciunt. Nec, quatenus proprium nomen est, illud adhuc observavi ante Telesphorum Romanum Episcopum circa A. 140. TELESOPHORVS DOMITIAE DOMITIANI SERVUS apud Grut. p. 979, 7 potest & ipse junior esse, ut & puer Martialis I, 115 & al.

§. XIII.

Haec de Telesphoro, quae ex libris antiquis & inscriptionibus hauriri potuere. Sed cum supersint nummi plures, & gemma una itemque altera in quibus figura puerilis cum cucullata veste (de qua deinde) vel solitaria conspicitur, vel Hygeae, vel illius Aesculapio patri adstans, vel inter utrumque media: illi figurae *Telesphori* nomen a Tristano inde, &

forte prius *), dederunt antiquarii. Vnde hoc hauserint, lubebat quaerere. Hic illud primum refert monuisse, me, diligenter lustratis thesauris nummorum & gemmarum, nondum invenisse nomen Telephori usquam alias quam in nummo, cujus aversam faciem protulit Andr. Morellus in specimine rei nummariae antiquae Tab. VII n. 7, quemque totum recensuit p. 52 hoc modo:

”ΑΥΤ. Κ Τ. ΑΙΑ. ΑΔΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ. Caput Antonini Pii.

”-----ΘΕΩ ΤΕΛΕΣΦΟΡΩ ΝΙΚΑΙΕΩΝ. Deo Telephoro Nicaensium. Telephorus stans.

”Basileae apud Cl. Seb. Faeschium I. V. D.

V. Tab.

VI.

Fig. I.

Haec totidem literis Morellus. In ipso nummi ectypo est, nescio cujus vitio ΝΙΚΑΙΕΩΝ. Loquor autem de exemplis primae editionis Paris. 1683. 8. Porro hujus nummi mentionem omnem nescio quo casu an causa? abesse video ab editione altera Lipsiensis. Qui autem postea illius mentionem faciunt, illi vel ad fidem Morelli provocant diserte, vel certe post Morellum sua prodidere. Huc, id est, ad posteriorem classem referendus est Harduinus, qui in nummis populorum totidem illum apicibus refert, quot modo posuimus: nescio an Valens etiam huc referendus sit, qui in numism. Imperatt. Graecis tanquam ex *Thesauro Regio* adfert, ΘΕΩ ΤΕΛΕΣΦΟΡΩ ΝΙΚΑΙΕΙΣ, & proximo versu alium Faeschiano museo tribuit Nicaeensium cum capite Dianae. Quid si securius usus est Morellianis chartis Valens, & tribuit *Thesauro Regio* nummum, cujus ille forte nihil habuit, praeter Morellianam descriptionem? Quid si in thesaurum regium quacunque via commavit Faeschianus Telephorus? Basilea quidem certa mihi fide rescriptum est, ”In Catalogo MS. Musei Faeschiani nullum „Graeci, quod Antoninum Pium Hadriani successorem referat, „numismatis vestigium: neque ullum ibidem descriptum existat, cujus seu antica s. aversa pars Telephori signum impressum

*) In Golzii antiquitatibus nulla visus erat cum hac inscriptione nummus. eius mentio: nullus ergo illi viro tum

„pressum habet.” Si ergo fuit ibi unquam talis nummus, *fuisse*, non esse, certum est.

Vnus est Antonino Pio & ipse dicatus a Nicaeensibus cum imagine Telephori, & ... C ... AKE.... in quo forte fuisse hoc nomen suspiceris, prolatus a Tristano T. I p. 599, & inde a Gessnero Impp. Ro. Tab. 102 n. 50. Nempe C illud solitarium, si talis plane est nummus qualis, exhibetur, potest reliquum esse non minus medium ex Telephori nomine, quam primum ex Σωτήρης. Ac potuit causa esse, cur duo nomina ejusdem Dei ponerent in nummo, forte ea ipla, ut eundem esse *Telephorum* atque *Acesium* ostenderent. Vid. Pausaniae locus, quem damus §. 9. Sed tales conjecturae nummo demum, quo de agitur, ipso inspecto aut stare possunt aut cadere, quare nec immorari illis operae pretium est. Nominis ergo prima mentio, si tamen, (res enim valde dubia) in nummis, quantum scire licuit, sub Antonino Pio. Imago paullo antiquior in nummis si non sub Vitellio *), certe sub Hadriano Pergaeorum apud Tristano. I p. 735. Begerum Thes. Brand. p. 660. Spon. Recherch. cur. p. 533. Patinum in numism. Impp. ex aere p. 201. Gessn. Imperatt. Ro. T. 92 n. 20. sed nomen abest ab his, & illis, qui magno numero sub Antoninorum praesertim imperio & usque ad Philippum a Graecis in Asia urbibus cusi sunt. In his rarior forte ceteris ΑΚΡΑCΙΩΤΩΝ quem exhibet Haym. Thes. Brit. vol. 2 p. 87 & Franc. Wise Catal. numor. Bodlei. p. 257 cf. p. 134, b. cujus una facies habet caput Iovis sine literis, altera circum Telephori imaginem nomen civitatis ignorabilis apud Geographos sed cujus in nummis mentionem non fieri ante Severi tempora, observant antiquarii. Similis ωρΤΟΥΔεωυ apud Wisium p. 138 sq. In Latino nummo nullo neque nomen Telephori adhuc a me inven-

*) De quo dicta sunt quaedam in nostris Relationibus de libris novis Anni I fasc. 3 p. 116 sq. Hic dare licet, beneficio fratris mei, Io. Alberti Gesneri, Consiliarii & Archia-

tri, iconem nummi, qualis est in Museo Ser. Ducis Wirtenbergici; & addere alium ΙΟΥΑΙΑΓΟΡΔΗΝΩΝ ex eodem, cujus similem habet Cl. Gessnerus inter Graecos T. XXVI, 25, Tab. VI. Fig. IV.

inventum, neque imago, nisi quod Patinus l. c. p. 296 & Pedrus. VII, 30, 3, exhibeat unum Caracallae, in quo Telesphori cum Aesculapio stantis imagini circumscripta haec: P. M. TR. XVIII. 105. III. PP. & in ipso campo solenne illud S. C. *)

§. XIV.

Cum ergo vix sit, ut ex nummis didicerint antiquarii, nomen Telesphori cum illo pumilione Deo conjungendum: superest, ut mera conjectura ducti id fecerint, non nimis illa difficili. Cum enim viderent ab Aristide iis locis quae §. 9 citavimus, hanc velut trigam Deorum Medicorum constitui, Aesculapium, Hygeam, Telesphorum: cum apparerent tres
 Tab. VI. figurae in nummis, quales duo speciminis causa damus, Aesculapii & Hygeae, suis signis apertis manifestae: primum erat,
 Fig. III. & V. suspicari, tertiam esse Telesphori. Id quod modo marmoris nostri auctoritate, & his, quae adhuc disputavimus, extra dubium collocatum putamus.

§. XV.

Vnum est, quod addendum hic videtur. Ex nummis praesertim didicimus vestitum Telesphori, de quo tamen non satis convenit. Illud satis ex imaginibus nummorum & gemmarum intelligitur, fuisse penulae genus, angustum, brachia & manus continens, quae tamen possent per scissuras quasdam ab utroque latere exferi, cui continuus certe in quibusdam, cervicem & caput auresque adeo, & genarum partem, tegens cucullus in acutum apicem exiens: illa porro penula antrorsum etiam consuta est ad eum finem, ut totum, five puer est, five Deus, involvat ad genua usque & paullo inferius, nisi quod in quibusdam imaginibus a latere utroque cubitus aliquantulum exsertus est, & cum facie collum etiam, & pectoris pars patet. Vtrum vero ille bardocucullus vocandus sit, an chlaena? in utramque partem disputari potest. Vid. Gutberleth. de myster. Cabir. c. 9 & 10: cujus diligentia compendi facere

*) Etiam hunc esse in Museo Wirtenbergico, frater me inens docuit.

cere aliquid mei laboris in conquirenda de Telesphoro materie poteram, si prius in illum incidissem. Sed non poenitet ita cecidisse, cum qui unum aliquid requirit in ipsis statim venis antiquis, ille obiter pluscula quae non quaesierat, soleat invenire. Idem fere de Phil. Buonarroti libro praeclaro dictum volo, *Osservazioni istoriche sopra alcuni Medaglioni antichi*. Ro. 1698. 4. ad Tab. VI. nr. 2 p. 83 sq. De cucullo Christianorum infantium, monachorumque ac Telesphori, quaedam etiam monet Tollius ad formulam receptionis Manichaeorum in Insignib. itin. Italici, quibus continentur antiquitates sacrae p. 177. Simplicissimum quidem & commodissimum idem genus vestitus video, quod uno injectu totum corpus muniat, quo contineri brachia ad frigus, & exseri ad opus faciendum possint, priscae & primae adeo simplicitatis vestimentum, quo infantum & puerorum, & aegrotantium imbecillitati facillime queat subveniri, quod placuerit eam ob causam etiam anachoretis & monachis. Credibile mihi videtur, tali vestitu usos in ipsis initiationibus & mysteriis Samothraciis. Certe Scholiastes Apollonii Argon. 1, 917 *κενόμενος & τανίας & πορφυρίδος* mentionem facit, unde cerimonias quasdam ad vestitum relatas intelligimus, quemadmodum in Iliacis mysteriis *duodecim sacratum stolis se processisse* Apulejus memorat lib. II p. 256, 25 Pric. Est illa vestibus peculiaribus induendi cerimonia adeo recepta, in omni genere initiationum & inaugurationum, a Mosaiscis inde temporibus inter Christianos & non Christianos omnes, ut ad communes hominum notiones referenda videatur. In Telesphoro cucullata penula eo magis placuit, quod perfecte restituta sanitas quasi de novo generatos, & velut recoctos a Medea quadam, praestat: quorsum etiam serpens Aesculapii & Hygeae pertinet, quod animal deposita senecta (sic ipsa quoque pellis exuta vocatur) videtur juvenescere.

§. XVI.

Sic denique ad explicationem qualemcunque Hymni ultimi in marmore Cassellano licet aggredi. Ponamus age, reliquias, & primum eas, in quibus non nisi quaedam disiecti membra Telephori licet agnoscere. De primis XI versibus haec modo superlunt.

1 ΝΕΩΘΑΛ - - 2 ΡΕCΑ - - 3 ΛΥ - - 4 Μ . . .

5 ΝΑΤΟΝΑΛ - - - 6 CΑΓΕΝΗΜΦΟΙ - - Ι - - Α - - ΙC - Ι

7 ΒΑΡΥΑΛΓΕΑΝΟΥCΟΝ - - 8 ΓΕΓΗΘΕΝΑΡΕΙ - - ΚΩ - -

9 ΤΕΛΕCΦΟΡ - - - ΟΝΠΕΡΙΚΗΙΕ - - Η - Κ - - ΑΚΙC

10 ΜΝΑΘΕΟΥΚΑΜΑΤΟΥΒΡΟΤΟΝ - - ΥΔ . .

11 ΟΝΑΥΤΟCΑΓΩΝΜΕΤΑCΕΟΥΒΑΡΥΑΛ - -

Deinde sequuntur quae expediri, bonam certe partem, videntur posse, quaeque cum speciminis causa, tum ut judicare, qui tanti putant, commodius de conjecturis meis possint, quam accurate potuit fieri etiam tabulae aeneae inscri-

Tab.VI benda curavi.

12 ΙΔΗΧΑΙΡΕΜΟΙΩΙΩΜΕΝΟCΩΠΟΛΥ - - -

13 ΛΕCΦΟΡΕΠΑΙΖΙΕΕΥΓΕΓΗΘΟΤ - - - ΦΑΙ

14 ΔΡΑΠΡΟCΩΠΑΓΕΛΩΤΑ - - ΕΙC ΙC - - -

15 - - - CΕΜΑΚΑΡΦΑΕCΙΝΒΡΟΤΕΤΩΔΟΡΕΑΩΝ

16 ΝΟCΙΔΡ - - ΑΤΕΛΕCΦΟΡΕ ΚΛΕΙΝΕΔ - - - - ΚΑΙC C C Π

17 ΔΑΥΡΙΟΙΜΕΝΑΛΕΞΙΧΟΡΟΙCΙΝΑΟΙ - - - ΑΙCΓΗΘΟCΥΝΟ

18 ΜΕΛΠΟΥCΙΝΑΝΑΞΑΚΕΕΙΝΚ - ΜΕΟΝ - - - CΟΥΔΕΤΑ-ΟCΘ

19 ΤΟΙCΙΦΕΡΕΙCΤΥΓΕΡΩΝΟΔΥΝΑΩΝΚΕΚΡΟΠΙΔΑ - - - ΥCΙΝΤΕΛΕ

20 ΦΟΡΟΝΕΞΟΤΕΙ - - ΗΝΝΟΥCΟΝΑΠΩCΑΜΕΝΟCΠΥΡΟΦΟΡΟΝΕΙ

21 ΤΕΛΟCΑΥΤ-ΙC-Υ-ΤΟΚ-ΙΝΤΑΧΕΩC - - - ΔΕΑΔΑΙΜΟ - ΕΘΙ

22 ΚΑCΟΥΜΑ - - - - ΙΝCΕΤΕΛΕCΦΟΡΕΑΔΟΜΕΝΟΙΟΝΑΛΛΟΤ

23 ΝΑΙΕ - - - - - ΛΙCΕΚΟΜΟΝΘΕΡΑΠΕΙΔΙCΖΩΟΦΟΡΟΝCΕΘ - -

24 ΙΩΜΑΚΑΡΑΥΤΟCΟΒΑΚΧΟC

Quae

Quae nostro more ita ordinari debent, & sic videntur posse restitui:

- 12) Ἦδη χαῖρέ μοι ὦ ἰώμενος, ὦ πολυχάρμε
 κλεινέ 13) τελεσφόρε, παίζε, ἔν γε γηθότι θυμῷ
 14) Φαῖδρά πρίσωπα, γέλωτά τε σοῖσι διδῶς μερόπειςσιν-
 15) Ὑμνῶμέν σε, μάκαρ, Φαεσίμβροτε δῶτος ἑάων
 5 χαῖρε 16) νοσιδράμα τελεσφόρε, κλεινέ, δαῖμον.
 Καί σ' 17) ἐπιδάυριοι μὲν ἀλεξιχόροισιν Ἀθήναις
 Γηθύσυνο' 18) μέλπουσιν, ἄναξ, ἀκέειν καμεόντας.
 Cε' δέ τ' ἄκος 19) θνητοῖσι φέρει τυγεῶν ὀδυνάων
 Κεκροπίδαισι λύσιν 20) τελέσφορον, ἐξ ὅτε τύνη
 10 Νῆσον ἀπώσάμενος πυροφόρον ἐς 21) τέλος, αὐτοῖς
 Εὐτοκίην ταχέως δούς, ἐδὲ ἀδάιμον' 22) ἔθηκεας,
 Θυμάρεις ἀινῶσιν τελεσφόρε ἀδόμενοι, ὄν
 Ἀλλοθι 23) ναιετάοντα σεμναῖς ἔκομον θεραπείαις
 Ζωοφόρόν σε θεῶν. 24) ἰὼ μάραι, αὐτὸς ὁ Βάκχος

Literis minoribus expressa supplementa conjecturalia: ceteras mutationes ipsa comparatio fati ab his, quae sunt in marmore distinguit: rationes earum habebunt annotationes:

Latine ita converti:

Iam salve mihi, o sanans, o multum gaudii ferens

Clare Telephore, juvenans, bene laeto animo

Hilares vultus, risumque tuis dans hominibus.

Celebramus te, beate, lucem ferens mortalibus, largitor bonorum:

5 *Salve morborum depulsor Telephore, inclute, prudens:*

Et Epidaurii te Athenis choros auxiliatores agentibus

Laeti canunt, Rex, mederi aegrotantibus:

Tua autem curatio mortalibus adfert tristium dolorum

Cecropidis liberationem perfectam, ex quo tu

10 *Morbo depulso ignifero, ad finem (perfecte) ipsis*

*Pariendi felicitatem celeriter tribuens, nec eam infelicem
posuisti. (dedisti)*

Lubenter laudant te Telesphore, quem

Alibi habitantem piis colere solent ministeriis,

Vitae datorem te Deum! Io beate! ipse (qui es) Bacchus.

Ad Hymnum Telesphori.

1 Si haec prima vox Hymni, ut apparet, est enim spatium dimidii & unius versus intermissum consilio, ut ante Hygeae Hymnum: dubium est, fueritne primus versus Hexameter: potuit tamen νεω per synizesin pronunciari monosyllabos. Suspicio autem νεωθαλής s. νεοθαλής esse epitheton Telesphori, qui recentem florem & velut recidivum valitudinis tribuat.

Hinc ne aditus quidem ad conjecturam mihi patet.

7 Βαρβαλγέα νεσσον exitum jam Hexametri agnoscimus, & epitheton morbi, & adeo rem Telesphoro convenientem.

8 Γέγηθεν & cognata sedem etiam habent in his Hymnis, ut in Aesc. 4 &c. & frequentia sunt in Orphicis.

9 Telesphori nomen hic etiam superest. An περιμήϊε hic fuit, formatum ex κίω, κείω, κήω; Literae AK forte sunt pars verbi ἀκείν, ἄκος vel similis, quae medicorum operi propria sunt.

10. 11 Etiam hic numeros hexametro aptos video: restituere carmen ipsum difficile, quia nimis facile aliquid substituere.

12 Cum prima hujus versus litera I videri queat, ultimae autem literae versus proximi perierint suspiceris hic Patronymicum, & odoraris aliquid de parentibus Telesphori: sed metrum laboraret: at admittunt etiam vestigia, marmoris primam vocem Ἦδη, ut fiat Ἦδη χαῖρέ μοι, ὦ ἰώμενος, ὦ πολυ-
duas syllabas ultimas explere facile; sed ob id ipsum difficile est divinare, quid proprie fuerit.

13 Potuit initium versus esse, Καλὲ vel Κλεινὲ τελεσφόρε. Forte Telesphorus παίσιος vocatur, quod redire ad aetatem primam & ludicram, quae ad ludum & delicias provocat, videntur convalescentes. Ceterum etiam Ἀσκληπιῶ παιδὸς Aesculapii pueri ἱερὸν in Arcadia ad Ladonem fl. memorat Paula. 8, 25, et ibidem c. 33 extr. aliud Ἀσκληπιῶ παιδὸς ἱερὸν. τέ-
τη μὲν δὴ τὸ ἄγαλμα ἱερὸν πεποίηται πηχυαῖον μόλις αἰ-
signum rectum s. *stans summum cubitale*. Non huc retulerim ego, quod ἑυπαῖδα Aesculapium vocat Aristoph. Pluto 639 *pulchram prolem*, ut volunt quidam: potius enim est, ut *felicem liberis* ibi intelligamus. Ad Aesculapium puerum accommodat O. Falconerius veterem inscriptionem, qua Nicomedes Medicus donarium dedicavit Aesculapio, Inscriptt. Athlett. p. 127 sqq. Est haec inscriptio etiam edita a Sponio Misc. erudita antiqu. f. 4 p. 132, a Fabricio Bibl. Gr. vol. 13 p. 349, a Schwarzio de Aesculapio & Hygea &c. sed non satis feliciter exposita, ne ab auctore quidem antiquo inscriptionis in pagina averla marmoris posita. Nempe *Seioboëthum* nobis finxere nobilem statuarium, qui, puto, nusquam unquam fuit, & alias non satis diserte epigramma totum interpretantur, quod hic repetiisse haud ingratum forte studiosis fuerit: cum praesertim neque Cuperus observavit mendum Harpocr. p. 79. Titulus est,

τῷ σωτῆρι Ἀσκληπιῷ σῶσρα καὶ χαριστήρια Νικομήδης ὁ ἰατρός.
Epigramma ipsum ita habet:

Τὰν παιδὸς καλίσαν ἐκὼ τάνδε Θεοῖο

Παιᾶνος, κέρε ματρὸς ἀπ' ἀρτίτοκος,

Δαιδάλλων μερόπεσσιν ἐμήσαο σείο, βοηθῆ,

Ευπαλάμῃ σοφίῃς μνήμα, καὶ ἑσσομένοις.

Θῆκε δ' ὁμῶς νέσων τε καὶ κῶν ζωάγρια Νικο-

μήδης, καὶ χειρῶν δεῖγμα παλαιγενέων.

Puer, qui idem *Deus Paeon* dicitur, cuius Aesculapio signum dedicat Nicomedes, non est, puto, ipse puer Aesculapius, sed Apollo puer, *infans a matre modo genitus* i. e. qualis erat, cum illum modo enixa esset Latona. Ἀπαρτίτοκος nihili nomen est: ἀρτίτοκος qui modo natus est, ut ἀρτίτοκος Luna nova apud Suidam V. τετρακτύς ut ἀρτιγένεθλος Aesculapius Orph. Argon. 384. In altero disticho alloquitur Nicomedes artificem signi s. statuarium, non sane *Seioboethum* quod ignorabile nomen, & nullius formae, sed *Boëthum* Carthaginensem, nobilem statuarium & caelatorem, cuius *puer eximie anferem strangulans* laudatur Plin. 33, 8 sect. 19, 23. & παιδίον γυμνὸν πύσιον nudus ad pedes Veneris sedens apud Pausa. Eliac. pri. s. 5, 17. Itaque σείο separandum est, positum pro σῆ ut solet a Poëtis, hac sententia, *Hanc — imaginem pueri — arte adhibita, hominibus elaborasti, tuae, Boethe, sapientiae, quae manu bene utitur, monumentum etiam posteris. Posuit autem Nicomedes simul munus pro depulsis morbis, vitae pretium, & specimen manuum antiquarum.*

Quod autem Aesculapium puerum vocari ajunt Petavius ad Synesium p. 31 & ex illo Cuperus Harpocr. p. 78 a Callistrato, nihil est. Quod enim ὁ παῖς dicit c. 10 extr. p. 903, illud non ad Aesculapium profecto pertinet, sed sic ille alloquitur lectorem suum, quasi praesentem adolescentulum doceret.

Telesphorum ergo παιζιον intelligo, puerili specie Deum, qui praestat Φαιδρα πρόσωπα, γέλωτα κ. τ. λ. Certe vix a commodiori syllaba potest versus 13 & prima vox expleri. Nempe Syllabam Φαι primo non deprehendebam in marmore: post, ut fit in hoc genere, aperta semel quasi via cognoscendi, planissime video, sic ibi esse. εὐ γεγηθότε θυμῷ est formula in hoc genere frequens. Syllabam γε produci in tali carmine, nec novum nec mirum est.

15 Etiam hic facile constituere versum licet, si legamus Ὑμνῶμέν σε, μάκαρ, Φαεσίμβροτε, δῶτορ εἰάων. Reliqua syllaba μεν sine dubio poscit verbum primae personae, numeri autem pluralis: ὕμνῶμεν fuerit, an ἀνῶμεν, μέλπωμεν, vel simile, confici neque potest, neque multum refert. Μάκαρ appellationem Diis communem, non est quod illustremus. Φαεσίμβροτος, qui lucem fert mortalibus, idem quod Φαεσφόρος vel Φωσφόρος, Solis epitheton est, Argonauticis Orphicis v. 54 & Aurorae v. 1103. iterum Solis in H. Apollinis p. 131, 9 & carm. de lapidd. hypoth. v. 39 & 74. Sic & Heliodorus poeta medicus, ἐν τοῖς πρὸς Νικόμαχον ἀπολυτικαῖς apud Gale. de antidotis lib. 2 p. 445, 42 Basil. jurat, οὐ μὰ τὸν ὑψὲς Ἡέλιον σπείροντα θεοῖς Φαεσίμβροτον αἰγλήν sic enim leg. pro αἰγλήν. Nempe sic etiam Φαεσφόρος Luna in Hymno Orphico p. 104, 1 & Proserpina p. 126, 9: & Pan adeo (quatenus pater, augens & in lucem proferens omnia) p. 108, 11. Sed etiam ad Metaphoricam lucem, salutem, & integritatem mentis & corporis refertur, ut in Carm. Orph. de Lapidib. praef. v. 77 ubi ἄρωγὴν θεσπεσίην Φαεσίμβροτον celebrat *auxilium divinum lucem ferens mortalibus*: & in Deum Medicum convenit, ut ipse Aesculapius apud Aristoph. Plut. v. 639 μέγα φέγγος (sic legit ex libris Hemsterh. pro φάνος) dicitur: ut Hippocrates Anthol. 1, 39, 1 Ἰπποκράτης Φάος ἦν μερόπων. Quam splendide de Pergamo & Aesculapio Aristid. de Concord. urb. T. 1 p. 520 med. Ἐσία γὰρ Ἀσκληπιῷ τῆς Ἀσίας ἐνταῦθα ἰδρύνθη, καὶ ταῦτα δὲ Φρυκτοὶ φίλοι πᾶσιν ἀνθρώποις αἰρονται παρὰ τῷ θεῷ, καὶ λῆν.

λῆντος τὲ ὡς αὐτὸν, καὶ μάλα ἀληθινὸν φῶς ἀνίχοντος. Pergamenus Aesculapius ex illa urbe, tanquam e Pharo, lucem & salutem ostendit mortalibus. Huc pertinet, quod mox addit de sua Pergamo, ὡς ἄρα ἔτος λιμένων ἀπάντων ἐχυρώτατος καὶ βεβαιότατος καὶ πλείους δεχόμενος, καὶ γαλήνη πλείον προέχων, ἐν ᾧ πᾶσιν ἐξ Ἀσκληπιῶ τὰ ἐπίνεια τῆς σωτηρίας ἤρτηται.

Δῶτορ ἐάων sine ulla dubitatione legendum pro vitiosa marmoris scriptura τῶδορ. Est illud Mercurii epitheton Homericum Od. Θ, 335 it. Hymn. 17, 12 & 28, 8. Vid. Barnef. ad Od. Ω, 10. Sic ὀλβιοδῶτας vocant Deos &c.

16 Caput hujus versus constitui potest χαῖρε, ex usu perpetuo hymnorum: νοσιδράμα totidem literis legitur praeter α syllabae penultima, & dimidiam μ quae extrita est. Ex δρᾶω ortum, facile credas, quaparte fugiendi fugandique adeo notionem habet: sed forma insolens, cum hic non verbale nomen ex prima praeteriti passivi (quod genus actionem vel opus significare solet,) sed tertiae personae postulari videatur, quale esset νοσιδράσα. Expectamus enim appellationem Telesphori, quae fugare morbos dicatur: cui melius conveniret terminatio in της vel τα sed nempe νοσιδράμα est fuga & expulsiō morbi, i. e. expulsor: ut ἀκρόαμα auditio pro eo, qui se audiendum praebet, ponitur.

Prima in τελεσφόρε hic pariter & mox v. 9, produci tanto facilius potuit, quod liquidae in pronunciando geminari solent.

De ultima voce versus hujus solum Δ superstes prodit forte nomen δαῖμον pro δαίμον positum, cum δαίμονα, quasi δαήμονα quendam velint Grammatici.

17 Penultimam in Ἐπιδάυριοι producere tanto facilius poëta potuit, quod in penultima diphthongum habet ἐπιδάυρεῖα χῶρεα

εα apud Scylacem p. 20. Et facile fuerit talia colligere ex Orphicis. Ceterum puto hoc hymno celebrari peculiare beneficium, quod Telephoro acceptum referebant Athenienses, qui, ut quondam ipsum Aesculapium ex Epidauro Romani arcessiverant, ita ipsi ex eadem urbe excitos sacerdotes quosdam s. Salios ad se vocarunt, ut lustrarent suis choris urbem ipsorum pestilentia laborantem. Admittunt quidem certe hanc sententiam versus, quos prae manu habemus, & aliam, nisi fallor, non admittunt. Nec mirum hoc in urbe jam olim κατειδάλω (Act. Apost. 17, 16) & quae in Aesculapii honorem jam diem unum suorum Eleusiniarum Επιδάουρια dixerat, quo initiatus illis fuerat Aesculapius. Αθηναῖοι τῆς τελετῆς λέγοντες Ἀσκληπιῶ μεταδῆναι, τὴν ἡμέραν ταύτην Ἐπιδάουρια ὀνομάζουσι, καὶ θεὸν ἀπ' ἐκεῖθεν φασὶν Ἀσκληπιὸν σφισι νομιδῆναι, Paus. Corinth. s. 2, 26 fin. Mentio horum Epidauriorum etiam Philostr. V. Apollo. 4, 18. Ceterum M. Aurelii imperium pestilentia infamavit, orbem pene totum terrarum peragrata, & Commodi ejus filii. De hoc Dio 72 p. 824, A: de illo Victor in Epitome. Conf. quae §. 9 de Inscriptione Veronensi dicta sunt.

Ἀλεξιχορος epitheton urbis vel civium adeo, qui choris sacris agendis auxilium s. remedium parant calamitati publicae. Nondum alias observatum, sed simile multis poetarum ἐνθροισιζόντων aliis.

18 Ἄναξ communem Deorum, Heroumque appellationem esse, notum est. Καμύντας pro καμώντας ipsum quoque nihil difficultatis, h. e. insolitum nihil habet.

19 σὲ δὲ τάχος habet marmor: sed proclivi errore positum putabam pro τ' ἄκος - Θνητοῖσι pene integrum habet marmor, praeter literam H. Videtur hic cum emphasi positum de his,
Com. Soc. Gott. Tom. II. S s qui

qui jam in mortis potestate esse putarentur, non mortales modo, sed morientes.

20 De prima in τελεσφόρος producta, dictum ad v. 16. Sic mox πυρόφορον secunda longa.

τύνη non ausim confirmare fuisse in marmore, sed neque illud respuit marmor, neque commodius quidam reperio.

πυροφόρος alias tritici, πυρῆ, feracem significat, & v. g. Libyae epitheton est Pind. Isthm. 4, 91: & Cereris. Vid. Barnes. ad Sophoclis Suppl. 260. Add. Orph. Hymno Mises p. 140, 8. Sed πυρόφορος, ex πῦρ, fulminis adjunctum Pindaro Nem. 10, 132. Hoc loco metaphorice ad igneam vim pestilentiae refertur, quo modo Sophocles Oed. Tyr. 27 ἐν δ' ὁ πυροφόρος θεὸς Σκῆψας ἐλάυνει λοιμὸς ἔχθιστος πόλιν *Irruens ignifera Dea inimicissima pestilentia, urbem agit.* τὸν γὰρ πυρετὸν πῦρ καλεῖσι, bene Scholiaſtes. Secunda in πυρόφορος producitur ea lege, de qua modo dictum est ad v. 16. Alias poterat poëta facile ponere πυροφθόρον, morbum, qui igne illo, sive ardore, corrumpit corpus.

21 ἐς τέλος alludere videtur ad etymon Telephori.

Εὐτοκία pariendi felicitas, signum salubritatis restitutae, sine qua nec Veneris nec Lucinae bene succedunt opera. Forte exhaustae urbi de subole metus erat. Sed & reliqua in hoc versu conjecturalia sunt: ut illud δὲς, ut ἀδαιμών, nomen nusquam adhuc observatum, arbitror; sive illud idem est, quod αἰτυχῆς, ut εὐδαιμών est εὐτυχῆς, sive ὃδ' ἀδαιμών εὐτοκία est fecunditas quae non sine numine Divum contigit.

22 Θυμαρὲς Homericum epitheton rerum jucundarum, quae animo conveniunt, hic, puto, adverbiale. Quod produ-
citur

citur penultima apud Homerum, hic corripitur, non novum nec singulare est, in tali praesertim carmine. Ἀνέσσω mihi placebat, quia non reperiebam melius. Idem de versu proximo fateor.

23 Ἄλλοθι cum vellet aut deberet quadratarius, ἄλλοτι exiit. Telephorus non habitabat Athenis, non erat proprius & indigena illorum Deus, sed ξένον δαιμόνιον, quod ex oraculo videntur coluisse. Sic νάει, habitat, Ceres Eleusine V. Orph. Hymn. p. 138, 6: Curetes ναιετάοντες Σαμοθράκην sunt ibid. p. 134, 4. Sic habitabat Aesculapius Pergami. Habitant Dii, ναίεσιν, vel ναιετάεσιν, ubi habent νὰς celebres & antiquos.

24 Ζωοφόρον cur dixerint Telephoron, facile est ad intelligendum, licet forte non exstet auctoritas alia, ubi Medico vel deo vel homini tribuatur. Ἰὼ μάκαρ Orphica exclamatio. Sed cur αὐτὸς ὁ Βάκχος est Telephorus? Primo deos minores majorum appellationibus, Iovis in primis, saepe honorari, constat: si quis dubitet eum vel solos Orphicos Hymnos jubeam inspicere, & in his vel solum in Pana p. 108, 11 ubi ille est & παιᾶν & ἀληθὴς Ζεὺς ὁ Κεράσης. Add. quae dicta sunt supra ad H. Aesculapii v. 1. Porro Bacchus, semper ille puer, imberbis certe, ut Telephorus, medicus idem audit passim. Apud Paulan. Corinth. f. 2 c. 31 memoratur βαμὸς Διονυσίῃ κατὰ τι μάντευμα ἐπίκλησιν σωῶτε, σωῶτης autem servator est, nomen Medicinae cognatum, ut σωτήρ, quod velut proprium esse Aesculapio, Hygeae, & Telephoro, novimus. Signum aliud, Διόνυσος Σωῶτης, est c. 37 pr. Maxime vero huc pertinet locus ejusdem Pausaniae Phoc. f. 10 c. 33 fin. ubi de Dionysio s. Baccho Amphicleenses ita, Μάντιν σφίσι τὸν θεὸν τέτον καὶ βοηθὸν νόσων σφίσι καθεστηκέναι. τὰ μὲν δὲ νοσήματα αὐτοῖς -- ἰᾶται δι' ὀνειράτων. Sic Διόνυσος Σωτήρῃς honori nummum dedere Maronitae apud Beger. Thes. Palat. p. 265. quem exhibet, & luculenter hanc Bacchi appellationem probat, Iul. Car. Schlaegeri

geri V. I. erudita sane de DIS hominibusque servatoribus
dissertatio p. 31 sq. Quid denique si alluditur ad Orphicum
carmen, quod ex Proclo posuit H. Stephanus Poët. Philos.
p. 107 Κράινε μὲν ἔν Ζεὺς πάντα πατήρ, Βάκχος δ' ἐπέκραινε, *Fi-*
nem Iovis operibus imponit Bacchus: sic Aesculapii, Iovis in
suo genere, operibus coronidem imponit, eaque ipsa re no-
minis sui mensuram implet, Telesphorus. Denique memi-
nerimus cognationis Telesphori cum Cabiris Samothracum,
de qua §. 7. Sunt autem, teste V. Schol. ad Apollo. 1, 917,
qui modo duos ponerent Cabiros, Iovem & Bacchum, senio-
rem illum, alterum juniorem. Si ergo Aesculapius Iupiter,
quid mirum Bacchum esse Telesphorum?

